

908.

1286 d. 10 Mars.

Risanäs.

Olofs af Risanäs Testamente till Husby kyrka af en hemmansdel i Risanäs Öfraby samt andel i Nedre byens skog; och ett par oxar till Kyrkoherden; så ock dessutom sjetedelen af reda penningar och annan förmögenhet.

A. 7. a. 15 20.

In nomine patris & filij & spiritus sancti amen testamentum suum non bene disponit qui terrenis tantum testatur heredibus & non facit christum libere coheredem, sciant ergo presentes ac posteri quod ego olauus de rysænes infirmus corpore sanus tamen mente & memoria testamentum meum ordino in hunc modum, In primis heredem constituo sacrosanctam ecclesiam husby in VIII. parte attungi rysænes in superjorj uilla que dicitur yfraby totaliter sine omni diminuacione & in illa parte silue quam habuj de halstano que dicitur aferd inferioris uille. Item domino beroni rectori ecclesie memorate personaliter pro anima mea lego duos boues. Insuper & sextam partem omnium bonorum meorum mobilium tam in prompta pecunia quam in omnibus alijs rebus & domibus uniuersis. si quis autem heredum meorum hoc testamentum meum attemptauerit infirmare in die districti iudicij dampnatus a domino cum impijs recipiat porcionem. In cuius rej testimonium quia sigillum proprium non habuj dominum .b. rectorem ecclesie sepedicte nec non & clementem de thegnaby rogauj quod presentem paginam sigillis suis robarent. Actum rysænes in stupa mea presentibus domino .b. rectore ecclesie supradicte & clemente thegnaby, karulo halstanj filio & gemone rysænes & dilecta vxore mea estridi nec non & duabus sororibus meis testibus ad hoc uocatis & rogatis. Anno domini M° CC° LXXX° VI° Dominica I<sup>a</sup>. quadragesime hora vesperarum.

Bägge Sigillen bortfallne.

909.

1286 d. 15 Mars.

Paris.

Officiel Vidimation af salubrefvet på en gård i Paris till Dom-Prosten ANDREAS i Upsala.

A. 3. a. 3: 6.

Vniuersis presentes litteras inspecturis - - Officialis Curie parisiensis salutem in domino Noueritis nos anno dominij M° CC° octogesimo quinto die veneris post dominicam qua cantatur Reminiscere litteras inferius annotatas vidisse in hec verba MATHEUS &c. Se föregående N:o 808.

Transscriptum autem huiusmodi litterarum fecimus sub sigillo Curie parisiensis sigillari saluo jure omnibus Datum anno & die predictis.

Sigillet skadadt.